



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 9. Paupertas temperantiæ mater.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

saltem patienter ferimus paupertatem?

§. IX.

Paupertas temperantiae mater.

Eadem etiam sobrietatem ac temperantiam promouet, atque quæ ex ea nascitur castitatem. Quemadmodum enim nummati habent, vnde cellas, ac culinas, atque inde ventrem impleant; ita pauperibus deest copia vini, quia deest copia nummi; neque eiborum lautitias mensis inferunt, apud quos caput cœnæ est olus, etiam cum festiue epulantur. Quare si non virtute, saltem necessitate frugalis est mensa egenorum. Corpus autem, quod non saginatur, minus utique luxuriat. *Abstinentia ciborum, contra hoc vitium fortissima est*, ait S. Gregorius, *Si enim ignis libido est, subtrahis igni materiam, cum cibos subtrahis; & vinum præsertim in quo, ut est apud Apostolum, luxuria est.* Et D. Ambrosius: *Pascitur libido conuiujs, nutritur delicijs, vino accenditur, ebrietate flammatur.* Quod si igitur temperantia est anima affectio, cœercens, & cohibens appetitum ab ijs rebus, que turpiter appetuntur, vt S. Augustinus eam virtutem definit, & si adeo delectationem corporis, in vsu cibi & potus inhonestarumque voluptatum moderatur; profe-

S. Greg.
in lib. 1.
Reg. l. 5.
cap. 14.
S. Ambr.
lib. de
pœnit. 1.
cap. 14.
S. Augu-
stin. lib. 1.
de lib.
arb. c. 13.
S. Thom.
22. q.
141 & A-
ristot. 3.
Ethic. c.
10.

S. Hieron ep.
150.

1. Cor. c.
7. 33.

perfectò hanc virtutem egregiè fulcit paupertas. Quare Religiosi vnà & paupertatè vouent, & castitatem. *Vis esse perfecta,* scribit ad Hedibiam S. Hieronymus, & in primo stare fastigio dignitatis? *fac, quod fecerunt Apostoli: vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere Saluatorem, ut nudam solamq; crucem nuda sequaris & sola.* Facile enim est, cogitare, superato amore diuitiarum, Apostolos & matrimonijs carere voluisse. Nam si vxores habere voluissent, solliciti esse debuissent de modis, quibus familia alenda fuisset. Siquidem, *qui cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.* In quæ verba D. Anselmus ita scribit: *Solicitus est, quæ sunt mundi, & c. id est, studet multiplicare diuitias variamq; supellectilem, ut habeat, unde pascat vxorem, & filios.*

§. X.

Pauperis oratio quàm potens?

Nihil de obedientia dicam, cùm constet, diuites imperia magis affectare, quàm obsequia; & mandare malle, quàm obsecundare: pauperes autem vt ad seruiendum promptos, ita & paratos ad obediendum. Quòd si autem inopū est, se se libenter sub-

mi.